1650 152



# QUÆSTIO MEDICA,

*QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Januarii.*

M. FRANCISCO FAUSTO ALLIOT, Doctore Medico, Præside.

*An fatui diutius & felicius vivant sapientibus?*

I.

CALORIS in humido permansio, vita. Calorem, activum vitæ principium, nudam qualitatem ne putato, destitutam subjecto cui inhæreat; aptius existimaveris hunc, effectum tenuissimæ, perniciissimæque substantiæ, quam æmulam æthereæ rati non nulli, nos eamdem prorsus esse cum spiritu volumus, per corpus omne diffuso, motûs omnis opifice, primarioque viventium in functionibus quibuslibet obeundis instrumento. Humidum, passivum vitæ principium, pinguis est & oleosa substantia, caloris & subjectum & pabulum. Tenuiorem istum, & avolare paratum assiduè coërcet irretitum intrà se. Ambo conjuncta secum arctiori nexu, sese mutuô conservant. Calor & humidum insita, è tenuiori seminis portione ducunt originem, influentia, subtilissimarum sanguinis molecularum soboles; utrumque ἀεικίνητον, tamdiù vitam fovens, quamdiù ritè agitantur.

II.

NON eadem omnibus vitæ mensura vel conditio, longius quibusdam ævum conceditur, brevius aliis; fortunatum idem nonnulli decurrunt, infelix & ærumnosum

alii. Longæviores, quibus humidum pingue, uberius ac tenax, atque à nimio exerementorum proventu magis immune, quibus item vegetior calor nativus, quoniam socio intimè adhærescens. Fortunatiores, quorum vita doloris atque solicitudinum expers traducitur, ni meliori titulo volueris esse fortunatos, qui se noverunt utroque gaudere, minus interim felices, nostro quidem judicio, quibus assiduè verendum, ne utroque orbentur. Fœlicitatis igitur aut infelicitatis subjectum, propriè aliud ab hominis mente, nullum; quæ prout corpus movet, ab ipso, interventu spirituum impulsionis (quod explicatu sanè arduum) idonea moveri evadens, varias elicit perceptiones easque reflexas. In omnibus quidem sui semper similis, idem judicium ferret haud dubiè, nisi perculsa diversimodè, varium ferre invitaretur. Mutuati nempè aliam atque aliam à succis indolem spiritus, à tenuitate pernicitatem, à crassitudine segnitiem; has aut illas inurunt impressiones animo, è quibus tristis gratusve sensus nunquam non exoriuntur; ut in quorum mente alterutrius perceptio elicitur, fortunati, vel infortunati humanæ vitæ curriculi parens hæc sit futura.

III.

SAPIENS habendus, non qui ἀπαθὴς ex stoïcis, at qui perturbationibus animi cæterorum instar obnoxius, idoneos iis frænos injicere novit, è præteritis tum doctrinâ, tùm experientiâ conquisitis, præsentia librat ad amussim: super eventibus rerum quibuslibet, vel maximè repentinis, consilii nusquam inops, sibi semper & ubiq; præsens. Qui satis accuratam biliosi, melancholicique succorum crasim à naturâ semel hausit, ad sapientiam natus est aptior. A bilioso humore tersos atque subtiles comparavit sibi spiritus, ad motum expeditos, forsan & perniciores quam ad verè sapientem efficiendum; iis nisi compedes aliquatenus injiceret melancholici succi desiderata crassities & tarditas legitima. verùm qui ejusmodi temperie donati sunt, indè habent certè ut corripiatur eorum vita, pariter & exigatur infelicior. Nempè frequentibus & variis impulsionibus perculsam mentem ipsorum, citra sanitatis damnum atque violatam animi pacem tot succussionibus sustinendis parem fore quis arbi-

tretur? A collecta præteritorum investigatione, solerti meditatione præsentium, sagaci futurorum providentiâ, quanta sit spirituum & nitidiorum jactura? Quorum ad vitæ nutritionisque functiones destinatorum pars insignior evocata fuerat ad cerebrum; sed & oblita sui ipsius, quiâ ferè semper extra seipsam natura, congerendis pluribus excrementis opportunam se præbet invita, superstites aliquot spiritus, degeneres interim, expositura, velut infortunatam ægritudinis occasionem.

## IV.

INSIGNIOR functionis animæ ratiocinantis imminutio, fatuitas. Torporem hunc ingenii, cave menti adscripseris, incusato spiritus, non pauciores quidem, at hebetiores, fæcique nimio plus immersos. Ipsorum ubertatem probat ἀκινησία fatuorum plerorumque stare loco nescio-rum; ut crassitudinem, functionum omnium corporearum robur, artuumque firmitudo. Ad utrumque conducunt non mediocriter alimentorum bella coctio, excrementorum evacuatio, immunitas à curis, à perturbationibus animi, quibus, præter fatuos, nemo non jactatur. Quantum ergô magis valent ad corporea fatui, tantò minùs ad spiritalia comparati sunt; corporis functionibus spiritus illorum omnes necessariò dicantur, quos à cerebro suoptemotu devolutos ad partes corporis inferas, nobiliorem nequit utiliter in operam impendere natura. Quidquid ad nutritionis & vitæ munia pertinet, implent accuratissimè quo circa, sensuum item ac motûs functionibus exequendis non mediocriter accommodati sunt, at inhabiles penitus ratiocinationi, quibus tenuitas ea pernicitasque negatæ, sine quibus ἀγχίνοια semper hebes, aut nulla.

## V.

FEriantem dixeris naturam in fatuis circum ea quæ spiritalia sunt, non quia noverca & melioris hominum partis ipsis impertiendæ conquirendæve parùm studiosa, verum quià prudens ipsa semper, incassum nescit ea conquirere de quibus assequendis omnino desperat. In corporea qua propter effundens se totam & unicè, quidquid alimentorum ingerunt fatui, subigit efficaciter, superstes à quacumque coctione

recrementum validissimè protrudit, humorum itus reditusque, spirituum impulsiones ordinatè moderatur, à curis aut perturbationibus animi procul abest eorum machina corporea fermè omnis, quas vel experitur nusquam, vel saltem expertam se fuisse non novit: undè singulis ad diù beateque vivendum instructos eos dixeris, è contrario solutos à quibuslibet impedimentis longiori feliciorique vitæ adversantibus, quibus spirituum sat est undè munia ad corpus attinentia exequantur, & ab ipsorum jacturâ, unde quâque proveniat, in cæteris breviorem aut molestam vitam efficiente, metuendum prorsus nihil.

*Ergò fatui diutius & felicius vivunt sapientibus.*

Domini Doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Petrus Paulus Guyart.* | *M. Andræas Enguehard.* | *M. Petrus Legier, Professor Regius, Decanus.* |
| *M. Franciscus le Rat.* | *M. Iosephus Thomasseau.* | *M. Nicolaus Rainssant.* |
| *M. Ludovicus Labbé.* | *M. Ludovicus Poirier.* | *M. Petrus Pourret.* |

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS CARON, Parisiensis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis, & Facultatis Medicinæ Typographum.